

bus tentata sit & impedita, longe forsan aliter judicabunt, existimabuntque, nos rem non plane indignam aut inanem moliri, qui viam hanc ostendendam, & ab impedimentis repurgandam in nos suscepimus. Neque etiam arguat nos quisquam, quod tanta cura, tantoque studio, viæ hujus jura afferimus, aut iniquitatis & injuriæ nos accuset, quod peregrinantum in eligenda via libertatem, qua quilibet pro arbitrio uti posse videtur, restringimus. Agitur enim hic res majoris momenti. Defenduntur vestigalia principis. Versatur hic commodum plurimarum provinciarum, & amplissimarum urbium. Interest Lusatiae Superioris. Interest Misniæ & totius, quæ regi nostro paret, Saxoniae. In primis vero hic quoque agitur causa celeberrimæ urbis Lipsiensis. Tanto igitur Lubentius, tantoque majore voluptate rem aggredimur, quanto magis & regis nostri, & patriæ, cuius amor optimum quemque tenet, referre videtur, ut jura hujus viæ illæsa semper illibataque conserventur.

II.

Ut vero ordine res agatur, imitabimur illos, qui latibrosas & difficiles vias peregrinantibus comiter ostendunt. Hi certe non viam tantum, ejusque initia, a quibus progrediendum est, demonstrant, sed omnia etiam, per quæ iter fieri solet, loca designant, ubi subsistendum sit, monent, interdum etiam causas, propter quas via semel instituta sit tenenda, nec facile deferenda, adducunt. Juvabit & nos, in via satis quidem expedita versantes, non iter saltim accurate designare, sed tradere etiam origines, & causas, quæ majoribus fuerint, viæ hujus instituendæ. Hoc autem ut eo melius fieri possit, inquiremus in originem hujus juris, quo peregrinantes, ut viis, a summis imperantibus designatis, insistant, adstringuntur.

III.

Quodsi accuratius rem consideramus, & in naturam viarum publicarum diligentius inquirimus, videmus quidem,